

fconditam! O immensam & inexpli-
 cabilem sapientiã, ex malorum extre-
 mo, puta peccato, bonum infinitum
 producere, ad declarandam charitatis
 suæ abyssum! O magnum solatium,
 quod scio te mei causa natum, tuam
 incarnationem meam apotheosin, tu-
 um fontem salutis meorum peccato-
 rum lavacrum esse! II. Sanctam illius
 doctrinã animo suo nunquam non re-
 voluet, in qua est æterna sapientia, ve-
 ritas, lux, vita & beatitudo, quemad-
 modum etiã vitam ipsius innocentif-
 simam, per quã ceu paradigma & me-
 thodum pie, divine & Christianè vi-
 vèdi nobis exhibuit. Nam exemplum
 vitæ illius, lumen est longè pulcerri-
 mum, quod non sinet nos ambulare
 in tenebris. III. Mysterium innocen-
 tis mortis Christi, in quo septem veni-
 unt consideranda. Primum est justitiæ
 divinæ impletio. Secundũ, satisfactio
 pro omnib⁹ nostris peccatis. Tertium
 reconciliatio cum Deo; nam *per mor-
 tem Filij reconciliati sumus Deo*; ad Rom.
 5. Quartum manifestatio immensæ
 charitatis divinæ per mortẽ nostri Re-
 demtoris. Quintum veritas Dei, quia
 Filium suum nobis donando fecit cõ-
 testa-

Doctri-
 na & vi-
 ta Christi
 quid sit.
 Fructus
 Passionis
 Christi.